

turos opprimere conabatur. *d)* Callidissimi hoc in negotio sunt Turcæ, *e)* quando cum Principibus, qui magnæ sunt potentia, nec primo ictu statim debellari possunt, post primum impetum bellum abrumpunt. Quod si observassent Genuenses, quam nunc tenerent potentiam? Venetis enim devictis, cum pacem anxie quæsitam negarent, illis ex desperatione pugnantis, cedere coacti sunt: *f)* Celebris hic est Atheniensium pietas. Spartanis enim accepta apud Pylum clade *g)* missa epistola inducias petentibus *h)* respondebant, non esse morem Atheniensium, ut inducias ad bellum redituri faciant: se enim legem habere, ut alacriter & bellum accipiant asperum, & pacem concedant perpetuam. Pacem fictam & fraudulentam bello aperto periculosiorem esse. Alia quoque Romulum movere poterat ratio: considerabat nimirum Vejorum potentiam, quam postero tempore decennalis obsidio, ac per cuniculos tandem promotâ occupatio satis declaravit, *i)* ad illam opprimendam tum temporis diuturno opus fuisset bello: Sed quid utilitatis sperandum, si bellum in multa lustra protrahatur, nisi quod hostes necessitate adducti bellicandi artes accuratius discere & exercere incipiunt. Sic Corinthii prius bellorum navalium rationem non cognoscebant, quam ubi cum Atheniensibus confererent manus. *k)* ipsi Athenienses à Persis *l)* Ægyptii à Christianis Hierosolymitanis *m)* veteres Germani à Romanis *n)* Itali valde segnes *o)* à Gallis irruentibus *p)* excitati & in pugnando edocti sunt. Quot discipulos Romæ invenerant Hannibalis stratagemata; notus est Marius, secutus in prælio cum Theutobodo *artem Cannarum*, *q)* & Flaminius, exemplo *effractarum Alpium* per-rumpens firmissima claustra Macedoniæ *r)*

*a* Petrarch. remed. utr. fort. Dial. 103. *b)* Eryc. Putean. Dissert. de Induc. Belg. habit. in Acad. Lovan. *c)* Lips. de Induciis ep. an. 1595. *d)* Boxhorn. Pol. lib. 1. cap. 13. not ad §. 9. *e)* Traj. Boccalini Relat. cent. 2. cap. 89. *f)* Turfelin. in Chron. sub Imp. Vencesl. *g)* Thucyd. lib. 4. *h)* Polydor. l. 3. Gvevara Horol. Princ. lib. 2. cap. 31. *i)* Flor. lib. 1. cap. 12. *k)* Thucyd. lib. 1. *l)* Paul Æmil. l. 3. *m)* Idem. *n)* Tacit. 2. Annal. *o)* Petr. Justinian. lib. 7. hist. Venet. *p)* Cominæ, bell. Neapolit. *q)* Flor. l. 3. cap. 3. *r)* Id. l. 2. cap. 6. & 7.